

derint, tamen plerumque reliqui adstruxerunt de veritate judicandi instrumentum esse comprehensibilem phantasiam, eam videlicet, quæ ab existente proficitur. Conf. Laert. L. VII. Segm. 54. p. m. 398. Hæc phantasia explicante ipso Laertio, differt à phantasmate. Phantasma enim visum animi est, cuiusmodi fit in somniis. Phantasia verò est formæ in animo impressio, hoc est, mutatio. ibid. Segm. 50. p. m. 395. Epicurus omne judicium in sensibus, & in rerum notitiis & in voluptate constituit, teste Cic. loco supra citato. Hinc etiam putavit solem tantum esse, quantus videatur, referente eodem ibidem p. m. 1039. Qui num uti in moralibus sic in his excusari queat, videbimus in conflictu.

§. VII.

Experiamur ipsi, quænam ex his sententiis omnibus sit vera. A posteriori incipiamus, adspicientes multas veras & falsas sententias, & circumspicientes, an in veris aliquam notam vel criterium veritatis deprehendamus, quod in falsis non reperiatur. Prima exempla sint ex Algebra, quæritur cur v. g. $a + b = 3$ & $a + 2b$ per additionem faciat $4 + 3b$: Vel cur $3 + 3$ per additionem dent 6. vel cur omnes partes simul sumtæ non sunt majores totò ipso. Nulla alia assignari poterit causa, quām quod hæc omnia clarè & distincte conceptu concipiamus. Si enim 3 cum relatione ad alia 3 concipiamus, statim concludimus, quod sint æqualia 6. Et ita etiam in reliquis exemplis. Sed ne quis putet, hoc saltem procedere in Mathesi, assumamus etiam exempla ex Jure naturali; sit e. g. thesis: Deus est amandus, iste, qui concipiet, Deum omnia propter se fecisse, facile concludere poterit, quod menti nostræ talem donaverit inclinationem, quæ sese ordinariè ad Deum inclinet. Porrò sit thesis: Alteri nihil est injustè detrahendum. Hic qui perpendit hanc veritatem violatâ, humanam societatem tolli istud nunquam negabit.

§. VIII.

Post mathematica ac moralia exempla etiam periculum facimus in physicis ac metaphysicis. Ponamus thesin: Saccharum non est dulce; quæritur an & hæc concipi possit? sed attende saltem, quod saccharum constet ex particulis spiritualibus, salinis & oleosis, omnibus certò modō figuratis. Perpende porrò, quod hæc particulæ certò modō meam afficiant linguam, & in eâ efficiant id, quod nos dulcedinem nuncupamus. Ex hoc facile videbis, quod dulcedo tanquam

Præbatur
steriori
et distin
conceptu
istud crit
at